



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 106. An dum jura vel etiam consuetudo exigunt requisitionem consilii, Episcopus aliusve Prælati, illud sequi teneatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

tem, contra quam non valet consuetudo. Nam etsi contra honestatem sit, Episcopus præteritis membris seu Canonicis in Ecclesia negotiis uti consilio aliorum, quod in *cit. cap.* taxat Papa, & hinc fortè, ut ait Abb. *ibidem*; non valeat talis consuetudo; & certè ea non valeat, utpote contra honestatem, ubi etiam multis aliis adhibitis consiliariis præterit suos Capitulares absque iusta & rationabili causa; non tamen repugnet honestati vel rationi, ubi ex rationabili causa non requirit consilium suorum Capitularium. V. g. ne revelent consanguineis suis, cum quibus Episcopo est controversia. Host. *in c. novit. v. aliquorum consilio.* & *ibidem* Gl. magna Lit. A. Pirh. *cit. num. 15.* Reiffent. *num. 28.*

Quest. 105. In quibus in specie teneatur vel non teneatur requirere consilium Capituli Prælati?

Resp. primo: Non tenetur requirere consilium Capituli, etiam in rebus arduis & independentibus à consuetudine, existente causa rationabili juxta arbitrium boni viri. Pirh. *loc. cit.* Item loquendo simpliciter in negotiis exigui & minoris momenti; cum ad Prælatus principaliter spectet administratio & cura Ecclesiarum, quæ frustra committeretur Prælati, si in omnibus opus haberent consilio Capituli dum illud semper & in omnibus congregare sit impossibile. Abb. *in c. cit. novit. num. 6.* Pirh. *loc. cit.* cum communi. Idem est in causis notoriis, ut iidem. Sed & in iis, quæ agit Episcopus jure & potestate ad se devoluta. V. g. Ob negligentiam Prælati inferioris, non tenetur exquirere consilium Capituli, nisi fortè ex aliqua honestate & æquitate; cum ea potestas devolvatur ad solum Prælatus, & non ad Capitulum. Gl. *in c. ne pro defectu. de elect. v. consilio.* Abb. *ibidem. num. 6.* Imol. *num. 2.* Laym. *in v. cum in cunctis. de elect. §. fin. num. 7.* Pirh. *loc. cit.* Quod tamen ipsum fallit in quibusdam casibus; nam si beneficium devolutum ex institutione suadatoris conferendum erat ab inferiore cum consilio Capituli Cathedralis, tenebitur etiam is, ad quem devoluta collatio in hac adhibere illud consilium; ego *in for. benef. p. 2. quest. 743. in fine*; conferendum enim est in hac devolutione cum iisdem conditionibus, eum quibus ex ejus institutione conferendum in prima provisione; cum sit prioris provisionis omisæ subrogatio. Lotter. *Lib. 2. quest. 24. num. 63.* Castrop. *tr. 13. d. 2. p. 34. num. 3.* &c. vide me *loc. cit.* Item in casu, ubi potestas, quam privatè ad Episcopum ex consuetudine habebat Capitulum corrigendi excessus Capitularium, ob negligentiam illius devoluta est ad Episcopum, ut deciditur *c. irrefragabili. de off. jud. ordinar.* & Fagn. *ibidem. num. 18.* hic adhuc procedere debet contra delinquentes cum consilio vel consensu Capituli, seu reliquorum Capitularium. Cum, etsi Capitulum ob suam negligentiam perdidit jus corrigendi, quod habebat de consuetudine, non tamen perdidit jus præstandi consilium, quod habebat de jure communi Fagn. *in cit. c. irrefragabili. §. excessus. num. 16.* quem vide pluribus *num. seq.* ac præcipuè *num. 26.*

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

2. Resp. secundo: E contra tenetur exquirere consilium Capituli in rebus arduis & majoris momenti, dum non est consuetudo aut causa rationabilis non exigendi illud. Laym. *ib. mor. l. 1. tr. 4. c. 7. num. 9.* & Canonista communiter *in c. novit. & in c. quanto.* Et sic in specie debet illud exquirere in institutione & destitutione personarum ecclesiasticarum. V. g. Abbatum & Abbatissarum (quin & in provisione præbendarum & collatione beneficiorum Ecclesiarum Cathedralis, ut Barbof. *in cit. c. novit. num. 1.* Pirh. *h. t. num. 17.* aut etiam, ut Reginald. *in pr. for. panit. l. 10. tract. 3. num. 239.* apud Barbof. *loc. cit. num. 2.* beneficiorum majorum Ecclesiarum inferioris) ita, ut institutio & destitutio sine requisito Consilio facta sit nulla, & quidem ipso jure juxta *cit. c. novit.* junctâ Gl. final. *ibidem.* Idem est de tractandis negotiis aliis Ecclesiarum suarum juxta *c. quanto. h. t. ubi*; *Fraternitati tue mandamus, quatenus in concessionibus & confirmationibus, & aliis Ecclesiarum negotiis fratres tuos requiras, & cum eorum consilio vel senioris partis eadem peragas & pertractes, & quæ statuenda sunt, statuas, & errata corrigas, & evellenda dissipis & evellas &c.* Et quidem contra quæ jura agit Prælatus, non tantum in his procedendo cum consilio aliorum præteritis suis Capitularibus, sed & simpliciter non requirendo consilium Capitularium, etsi non adhibeat alios in consilio. Et magis adhuc in specie, Episcopum in erigenda nova parochia intra fines alterius teneri adhibere consilium Capituli, tradunt Host. *in c. audientiam il. primo. num. 2. de Ecclesiis edific.* Jo-And. *ibid. numer. 2.* Butrio, Cardin. & alii apud Fagn. *in idem c. numer. 50.* Verum non sufficere consilium, sed etiam requiri consensum, tenet ipse Fagn. cum aliis, de quo paulò post. Olim quoque in alienationibus rerum Ecclesiasticarum necesse adhibere consilium Capituli, quod non erat decisivum sed consultivum tantum. Pirh. *h. t. num. 1.* citato Suar. *Tom. 4. de relig. l. 2. c. 27. num. 9.*

Quest. 106. An dum jura vel etiam consuetudo exigunt requisitionem consilii, Episcopus aliusve Prælatus illud sequi teneatur?

Resp. Non tenetur sequi consilium, sed satisfactum præcepto petitione consilii & expectatione responsi congruo tempore. Abb. *in cit. c. quanto. num. 5.* ubi etiam, quod, si Capitulum petiit consilium dare noluerit, valeant acta à Prælato sine illo, si contra illa aliud nihil rationabile opponatur. Fagn. *in c. cum ex eo. de Reliq. & venerat. SS. numer. 20.* Referens, sic sæpius responsum à S. Cong. Concil. Gonz. *in Reg. 8. Cancel. gl. 46. num. 61.* Pirh. *h. t. num. 18.* cum communi contra Pasqual. *controvers. inter Episc. & Regular. p. 1. qq. 22. num. 408.* Non tamen propterea frustra exigitur consilium, & illud in certis casibus adhiberi mandarunt jura; cum vel sic occurratur præcipitantiæ Prælati, isque auditis rationibus ad tractandum maturius & cautius negotium disponatur, ac sæpè ad statuendum prudentius & utilius, quam sine illo statuisset, moveatur.

H

Quest.